J. Medina
10.65
20.X-65
GS/14B

CAPUT II

DE HOMINUM COMMUNITATE

21. (Quid Concilium intendat). Secundum Deo ordinationem, hominis vocatio, cuius celsitudinem monstravimus, nonnisi in vita sociali compleri potest. Quoniam vero recentiora Magisterii documenta christianam de societate humana doctrinam fusius exposuerunt (1), haec Sancta Synodus quasdam principaliores veritates in memoriam revocabit earumque fundamenta sub luce christianae revelationis exponet (nn.22-26 bis); et inde in quaedam consectaria dimanantia insistet, nimirum in reverentiam personae humanae exibendam (nn.27-29), fundamentalem inter homines aequalitatem (nn.30-31), necnon humanam libertatem eiusque in hodierna societate condiciones (nn.32-34). ()

Los cap I y III no comienzan así (Arcelp)

Sectio I: De principiis fundamentalibus

22-23. (De "interdependentia" humanae personae et humanae societatis). ( ). Ex sociali indole hominis apparet connexio inter profectum humanae personae et ipsius humanae societatis incrementum. Etenim principium, subiectum et finis omnium institutorum socialium est et esse debet de persona humana; ( ) quae suapte natura indiget vita sociali, sine qua individuus homo neque vivere neque ad perfectionem pervenire potest (2).

Fernand: "politica"

Inter homines vero occurrit malum, quod perturbationem ordinis socialis non raro infert; quod malum tam ponderi formarum oeconomicarum et socialium quam, hominum superbiae et egoismo tribuendum est, quibus eaedem formae afficiuntur. ( )

Ubi ergo ordo sequelis peccati perturbatur, homo nova invenit incitamenta ad peccandum, quae sine divino auxilio superari nequeunt. At Deus, auctor hominis et societatis, divina remedia et dona ultro offert. ( )

Vinculorum socialium quae homini excolendo necessaria sunt, alia, uti familia et communitas politica, intimae eius naturae immediatius congruunt; alia, v.g. "professionem" vel animi culturam respicientia, potius ex eius libera voluntate procedunt. ( )

Nostra hac aetate, variis de causis, mutuae necessitudines et "interdependentiae" in dies multiplicantur; unde diversae oriuntur instituta sive publici sive privati iuris: quod factum "socializatio" nuncupatur, quae, periculis sane non carens, multa tamen secum emolumenta affert ad confirmandas et augendas humanae personae qualitates eiusque iura tuenda (3). ( )

24. (Iura et officia humanae personae confirmantur). Dum nostris diebus ligamina inter homines strictiora fiunt et paulatim ad universum mundum extenduntur, simul crescit conscientia eximiae dignitatis hominis, quippe qui rebus praestet et cuius iura et officia universalia et inviolabilia sint. Exigitur ergo ut ea homini possibilia reddantur quibus ad vitam vere humanam gerendam indiget, non solum quoad materiales existentiae conditiones, utputa victum, vestitum, habitationem, verum etiam quod spectat ius ad bonam famam, ad reverentiam ad vitae privatae protectionem atque ad iustam libertatem. Ut omnia haec impleantur, amplae societatis immutationes inducendae erunt. ( )

25. (Ordo socialis necessario in dies evolvitur). Exinde patet normas vitae hominum in societate degentium alias esse et alius naturae ac leges, quae elementa irrationalia totius universi aut coetus animalium regunt. Humana societas est praeprimis quiddam spirituale, morale, e fraterna reverentia et communione ortum, in quo cuncti integrae suae

PATRIMONIO UC

vocationi, propriae et communi, terrestri et aeternae libere obtempera=
re possint (4). ( )

(ex n.24) Spiritus Dei, qui cursum temporis mirabili providentia dirigit et renovat faciem terrae, huic evolutioni absens non est; item=
que evangelicum fermentum in corde hominis irrefrenabilem dignitatis exigentiam excitavit.

Ordo ille socialis, in dies evolvendus, in veritate fundatur, in iustitia efficitur, amore vivificandus est, in libertate semper novum semperque magis humanum aequilibrium invenire debet (5). Quo fiet ut ordo socialis eiusque progressus in bonum personae indesinenter cedat, siquidem subiciendus est ordo rerum ordini personarum, et non e conver=
so, ipso Domino innuente: Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum (6). Falta (castellano) de Dios como creador de la sociedad.

26. (Bonum commune et universale). ( ) Principia memorata non tan=
tum relationes in una eademque societate regunt, sed etiam normas inter diversas societates afficiunt. ( ) Bonum commune cuiusdam particularis coetus, seu summam condicionum, quae tum coetui tum singulis membris permittunt ut propriam perfectionem plenius atque expeditius consequan=
tur, hodie minus quam antea, modo ad proprium commodum omnia referente concipere licet (7). Quivis coetus rationem habere debet necessitatum et legitimarum appetitionum aliorum coetuum quibuscum coniungitur, immo boni communis totius familiae humanae. ( )

La redacción + insiste en medios que en fin.

Butler: el hombre debe tambien vivir

Hengsbach: el estilo del cap. 1 del n.26 bis, se desvia del fin. No se da interpretacion de hechos sociales, sino se hace una teoría puramente doctrinal. Y para: se guarda el método. Se interpreta y al fin la orientac. cristal.
Charue: lo de XII en c. cap. se pone al fin.

Arcel: pregels al fin II con otros caps.

→ 26 bis. (De indole communitaria in consilio Dei). Revelatio divina, universum hominum mysterium illuminans, ad altiorem intelligentiam nos perducit legum vitae socialis, quas Creator in natura spirituali ac mo=
rali hominis inscripsit. Nam manifestando suum propositum salutiferum Deus illam indolem socialem plane agnovit. Etiam ab initio historiae salutis Ipse homines elegit non ut individua tantum sed ut membra fami=
liae. Illos enim electos Deus, suum aperiens consilium, vocavit "popu=
lum suum" (8) (Ex.3,7-12) quocum etiam in Sinai foedus perfecit (sicut pater cum familia). Tota deinceps vita populi Dei Israel in sua consti=
tutione fine, in suis legibus et pietate constanter manifestavit indo=
lem communitatis propriam.

Qui spiritus communitarius perficitur et consummatur opere Iesu Christi. Ipsum Verbum incarnatum in coniunctionem humanam introire vo=
luit. Christus natus ex muliere, ex semine David secundum carnem, neces=
situdines humanas, imprimis familiares, ex quibus societes oriuntur, sanctificavit. Triginta annos vitam duxit opificis sui temporis et re=
gionis.

In sua praedicatione, praesertim de iustitia et caritate, clare pate=
fecit filios Dei debere vitam ducere uti fratres. In sua oratione ro=
gavit ut omnes sui discipuli cor unum et animam unam haberent. In suo praecepto ad Apostolos iussit eos praedicare omnibus gentibus nuntium evangelicum ut genus humanum fieret familia Dei in qua plenitudo legis esset dilectio.

Primogenitus in multis fratribus, inter omnes qui Eum fide ac ca=
ritate accipiunt, (post mortem suam) post resurrectionem suam dono sui Spiritus novam fraternam communionem instituit, in proprio scilicet Corpore suo in quo omnes, inter se invicem membra et, secundum dona diversa singulis concessa, mutua sibi praestarent servitia.

Quae solidarietas semper crescere debet (9) usque ad illam diem plenae consummationis, quando homines gratia salvati perfectam gloriam Deo praestabunt tamquam familia a Deo Patre et Christo Fratre dilecta.

Secundum doctrinam sacram Deus, paterna cura super omnes vigilans, voluit ut cuncti homines unam efficerent familiam fraternoque animo se invicem tractarent. Omnes enim creati ad imaginem Dei, qui fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae (10), ad u=
num endemque finem vocantur.

Sectio II: De viis sequendis

27. (De reverentia erga personam humanam). Ad practicas urgentesque normas descendens ( ), Sacra Synodus inculcat reverentiam erga hominem, quem singuli ut "alterum seipsum" considerare debent, de cuius vita et necessariis condicionibus vitae rationem imprimis habentes (11). ( )

Nostris praesertim diebus urget obligatio nosmetipsos proximos efficiendi cuiuslibet omnino hominis, sive sit senex ab omnibus derelictus, sive alienigena operarius immerito despectus, vel illegitimus infans, iniuste patiens propter peccatum a se non commissum, vel esuriens qui ( ), nobis occurrens, ( ) conscientiam interpellat et Domini vocem revocat: "Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis" (Mt.25,40).

Quaecumque insuper vitae adversantur, ut cuiusvis generis homicidia: genocidia, abortus, euthanasia et ipsum voluntarium suicidium; quaecumque humanae personae integritatem violant, mutilationes, tormenta corporis mentive inflicta, conatus ipsos animos coercendi; quaecumque humanam dignitatem offendunt ( ), ut infrahumanae vitae rationes, arbitrariae incarcerationes, deportationes, prostitutio, mercatus mulierum et iuvenum; ( ) condiciones quoque laboris ignominiosae, quibus operarii ut mera quaestus instrumenta, ( ) non ut liberae et responsabiles personae tractantur; haec et alia huiusmodi, probra quidem sunt et, dum civilizationem humanam inficiunt, magis eos inquinant qui sic se gerunt, quam eos qui iniuria patiuntur; honori praesertim Creatoris ( ) contradicunt. Reverentia denique pro persona exposcit ut ( ) veritas religiosa non vi imponatur, sed ( ) libere ametur.

28-29. (De reverentia et amore erga adversarios). Ad illos etiam qui in rebus socialibus, politicis vel etiam religiosis aliter ac nos opinantur aut faciunt, reverentia et caritas extendi debent; qua quidem reverentia et caritate modos sentiendi eorum intimius comprehendere et dialogum cum ipsis facilius inire possimus.

Haec sane caritas et benignitas nequaquam indifferentes erga veritatem et bonum nos reddere debent, sed exstimulare potius ad verum inquirendum. Distinguere oportet inter errorem, semper reiciendum, et errantem, qui semper dignitatem personae servat, etiam ubi falsis minusve accuratis notionibus religiosis inquinatur. Deus iudex est et scrutator cordium; aliunde Dominus nos vetat de interiore cuiusvis culpa iudicare (12).

Doctrina Christi praeceptum amoris ad inimicos omnes extendit; quod ( ) est Novae Legis mandatum: ( ) "Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum; et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos" (Mt.5,43-44) ( ). Quae tamen magnanimitas zelum pro bono, pro iusto aut pro vero minuere non debet. ( )

30. (De essentiali inter omnes homines aequalitate). Cum omnes homines, anima rationali pollentes, ad imaginem Dei creati, eandem naturam eandemque originem habeant; a Christo autem redempti, eadem fruantur vocatione et destinatione divina: fundamentalis aequalitas inter omnes magis magisque agnoscenda erit. ( )

Omnis igitur discriminandi modus in iuribus personae fundamentalibus, sive socialis sive culturalis, tum ob sexum, stirpem, colorem, socialem condicionem, linguam ( ) aut religionem, superandus et removendus est, utpote ( ) Dei proposito contrarius.

Quamvis enim ex varia capacitate physica viriumque intellectualium et moralium diversitate non omnes homines aequiparantur, adhuc tamen dolentes conqueritur, quod iura illa fundamentalia personae non ubique sarta tecta serventur. Ut si mulieri negetur facultas libere sponsum

eligendi, vitae statum amplectendi, ad similem educationem et ( ) cul= turam accedendi ac viro; ( ) vel si opulentum divitem honore praeveni= amus, inopem exhonoremus (13). ( ) Verum tamen est aequalitatem iurium latius in dies agnosci tum mulieris in vita familiae atque in ordine civico et sociali, tum opificum et pauperum in vita publica et politica.

31. (De caritate sociali). Quamquam inter homines iustae differen= tiae adsunt, tendentia adesse oportet ad aequalitatem in condicionibus socialibus efficiendam. ( ) Maiores magnae inaequalitates oeconomicae et sociales ( ) inter membra unius familiae humanae sicut etiam inter nationes scandalum movent; iustitiae, aequi= tati, dignitati personae humanae, paci sociali et internationali minime conferunt. ( ) Fernandez: la just. se aplica entre naciones. No sólo la conmutativa. Falta just. entre naciones.

Hodie dilatantur spatia caritatis et civilis; quae non tantum individuum, sed etiam institutiones integramque societatem respicit eisque praestat auxilia; ( ) sicque contendit ut praecepta iustitiae, socialis non om= missae, melius observentur.( )

Humanae autem institutiones, sive privatae sive publicae, rebus spi= ritualibus ac fini hominis nobilissimo subservire nitantur ( ), simul adversus quamlibet servitutem tum socialem tum politicam strenue decer= tantes, et iura hominum fundamentalia sub omni regimine politico ser= vantes.

Unde fiet ut homo, per technicas artes subiciens naturam physicam, infirmae condicioni suae naturae non succumbat, peccatis inquinatus; sed vera spiritus libertate fruatur.

Mgrath: se trata + bien de just. q. de caridad. Conexión de subtit y p. 12.

32. (De libertate et hominum coniunctione). ( ) Verum est hominem, quamvis liber a Deo creatus, potius liberum fieri quam nasci. Ad li= bertatem autem non ascendit, nisi in consortione humana conditiones vi= tae ei permittant ut suae dignitatis conscius fiat et vocationi suae, seipsum pro Deo et pro aliis impendendo, respondeat. ( ). Ideo humana libertas debilior fit et quasi extinguitur, ubi homo in extremam inci= dit egestatem, sicut virescit, ubi ipse nimiis vitae facilitatibus in= dulget vel in aurea veluti solitudine seipsum occludit. E contra robo= rem acquirit, cum homo inevitabiles coercitiones vitae socialis accipit, multiformes exigentias humanae coniunctionis adsumit atque officio ser= viendi humanae communitati se obstringit.

Humanum genus, cum magis magisque rebus dominatur, hodie etiam cla= rius perspectum habet quanta ab antecessoribus accepit, simulque dete= git sortem suam futuram pro magna parte e fraterna coniunctione inter omnes homines pendere. Haec coniunctio oportet igitur ut magis effectiva et universalior evadat. ( ).

33. (Quod ultra ethicam individualisticam progrediendum sit). Pro= funda et velox rerum immutatio urgenter postulat ut nemo sit qui rerum cursui non attendat vel torpens maneat, ethicae mere individualisticae indulgendo. In variis regionibus, plures sunt qui leges et praescriptio= nes sociales minimi faciunt. Non pauci variis fraudibus ac dolis iusta vectigalia vel alia quae societati debentur effugere non verentur. Alii normas ad valetudinem tuendam, aut ad cursum vehiculorum per vias mode= randas statutas, parvi aestimant, non animadvertentes se tali incuria vitam aliorum periculo exponere. ( ) Sanctum sit omnibus necessitudines sociales inter praecipua hominis hodierni officia recensere et obser= vare. Quo enim magis mundus unitur, eo apertius officia muneraque homi= particulares coetus superant et ad universum mundum paulatim extenduntur.

34. (De "responsabilitate" et participatione). Ut singuli suum con= scientiae officium accuratius servent tum erga seipsos, tum erga varios coetus quorum membra sunt, diligenter ad ampliorem animi culturam sunt educandi, adhibitis ingentibus subsidiis quae hodie toti generi humano

PATRIMONIO UC

praesto sunt. Praeprimis educatio iuvenum cuiuslibet socialis originis ita instituenda est, ut viri mulieresque suscitentur qui non tantum exculti ingenii sed et magni animi sint, utpote qui a nostro tempore vehementer postulentur.

Insuper apud omnes exstimulanda est voluntas communes nisus participandi. Idcirco laudanda est ratio agendi nationum, in quibus pars quam maxima civium rerum publicarum particeps fit, ratione habita conditionis realis uniuscuiusque gentis et necessarii vigoris publicae auctoritatis. ( ) Ita sane non parvae ordinis alterationes vitantur, simulque humanior redditur Statuum constitutio. ( ) Ut vero omnes cives proni sint ad participandam vitam variorum coetuum, e quibus corpus sociale constat, necesse est ut in his coetibus bona inveniant, quae ipsos attrahant eosque ad aliorum servitium disponant. ( )

N O T A E

ad nn.21 usque ad n.26: ut in textu recepto p.29

Ad n.26 bis

8) Cf. Ex.3,7.12
9) Cf. Haebr. 10,25
10) Cf. Act.17,26.

Ad nn.28-29

11) Cf. Iac.2,15-16
12) Cf. Lc.6,37 et ss.; Mt.7,1 et ss.; Rom.2,1-2; 14,10.
13) Cf. Iac.2, 2-6.

RELATIO CAPITIS SECUNDI

PATRIMONIO UC

Iuxta desiderium Patrum in quantum fieri potuit abbreviavimus textum, vitando repetitiones et amplificationes idearum quae non omnino necessariae videbantur, conservando tamen fere omnes ideas et ipsa verba textus recepti. Attente consideravimus etiam animadversiones, emendationes, additiones necnon omissiones a Patribus sive in Aula sive in scriptis propositas. Principalis modificatio habetur in n.26 bis, de quo infra.

Ad nn.22-23: Ex duobus numeris 22-23 fecimus unum, tum propter affinitatem argumenti, tum propter notabilem abbreviationem textus. Una est modificatio potior a Patribus proposita et a nobis acceptata: loco "ad alias personas et societates ordinatur, sine quibus individuum..." (lineae 17-18 n.22) legitur nunc, ex suggestione E/5292 partialiter acceptata: "...quae suapte natura indiget vita sociali, sine qua...". Nam "ordinatur" indicat ordinationem ad finem, et societas non est finis personae nisi in quantum haec est individuum.

Ad n.24: Haec est principalis modificatio, iuxta E/5691 et E/5634: loco "omnia ei tribuantur" (in lin.23) legitur nunc: "ut ea homini possibilia reddantur quibus ad vitam...". Nam "omnia" non debent homini simpliciter tribui ac si ipse non deberet ad haec comparanda opem suam conferre.

Ad n.25: Illud de Spiritu Dei qui "ab hac tam decretoria evolutione alienus non est", in fine n.24, ponitur nunc in n.25, sine decretoria (cf. E/5691 et E.5634), addita idea de providentia et dicendo "huic evolutioni absens non est". Agitur enim in n.25 de evolutione ordinis socialis.

Ad n.26 bis: Nobis omnino necessarium videbatur principia fundamentalia in prima sectione exposita etiam sub lumine christianae revelationis considerare: nam consectaria secundae sectionis necessario praesupponunt haec fundamenta theologica; et sic etiam complemus primam sectionem

cum idea christologica. Quaedam elementa huius numeri sumpsimus ex nn. 35-36 (quae omittuntur) alia autem nova sunt ex historia salutis. Numerus redactus est a P.Ahern.

Ad n.27: Ex petitione E/5288 addimus "cuiusvis generis homicidia"; et iuxta desideria E/5505 et E/6533: "ut infrahumanae vitae rationes, arbitrariae incarcerationes...". Pericopa autem de libertate religiosa omissa est (E/5691, E/5492), tum quia erant contradictoriae suggestiones a multis Patribus factae tum quia specialem Declarationem de hac quaestione exspectamus.

Ad nn.28-29: Propter abbreviationem textus et affinitatem argumenti fecimus unum numerum ex nn.28-29.

Ad n.30: E/5482, E/5562, E/5289, E/5630 concedunt libenter aequalitatem essentialem inter homines; sed exstant conditiones existentiales differentes, ratione intelligentiae, capacitatis physicae, potentiae agendi, valorum moralium etc. et petunt insistenter ut etiam de inaequalitate aliquid dicamus. Quod et fecimus. In textu de discriminatione, loco "damnandus et sensim removendus" est, dicimus nunc "superandus et removendus" (E/5424).

Romae, die 17 Oct. 1965

Bonav. KLOPPENBURG, O.F.M.

PATRIMONIO UC